



2505



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel. alced

DEO BENE IUVANTE,
THEOREMA
DE PERFECTIONE ET SUFFICIEN-
TIA S. SCRIPTURAE IN DOGMATIBVS
fidei Christianae

Moderatore

REVERENDO AC CLARISSIMO
VIRO Dn. IOHANNE GEORGIO VOLCK-
maro SS. Theologiae Doctore ac Profes-
sore publico,

Contra Traditiones Pontificias,
Ad disputationem septimam in Collegio Stu-
diosorum privato propositum,

à

M. LAURENTIO LAELIO KLEIN-
langhemio Franco,

Respondente

M. BLASIO FRIEDLIEBIO
Betza Mulhusino.

15. Novembris Anno 1595.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.




FIDELISSIMO IESV CHRI,
STI SERVO.

REVERENDO, EXCELLENTISSIMO-
que Viro D. ÆGIDIO HUNNIO SS. Theologiae Docto-
ri, eiusdemq; professori in Academia VVitteber-
gensi Clarissimo, Superintendenti reli-
giosissimo praeceptori suo omni
obsequiorum genere
honorando,

Gratitudinis & reverentiae argumentum
offert & nuncupat,

M. Laurentius Lælius Francus.



DE
PERFECTIONE SCRIPTURÆ.

Αφορμὴ

I.

Hoc ut nobis utilissimum comodissimūq; est, si scripturas pedibus nostris tanquam lucernam adhibeamus, ita vicissim omnium malorum arumnarūq; nobis earundem ignorantiam causam esse quis n. n. abunde satis perspicit?

2. Qua de Causa tantopere nobis istā, sapius Spiritus sanctus commendavit, ut ei tanquam fixo statūq; portui assideamus, adhareamus.

3. At qui fieri id, quāte ratione contingere potest ē ut certam nobis inde spem tuti receptus polliceamur, si non eius ἀσφάλεια, penitissime constet.

4. A multis autem ea prisca aevi Hæreticis in biuio habita, impugnata negatāq; est: quin & hodie Pontificij magno conatu ansūq; illam conquassatam ruptāq; discupiant.

5. Ingentes illi ē scrinio Ecclesiæ suæ Traditionum fidei & morum camulos, quibus citra errorem acquiescas, protrahunt.

6. Econtrā Fideles propugnatores semper extitēre, qui illam integram sartāq; habuēre.

Αφαιρέσεις τῶν μὴ ζητούμενων.

7. Vbi in eo consumenda nobis prima nostra opera erit, nisi in tenebris Andabatarum in morem collidere uelimus, ut STATVM ritē dextrēq; erutum proponamus.

8. Diris enim crebrisq; Romanenses Orthodoxos nostros iambis premunt, quasi ita sunt φίλοι τῶ γράμματός, ut nihil omnino præter solos apices ipsius scripturæ, Orthodoxæ fidei consonum verūq; censeant.

9. Verum questionis Cardinem hic consistere omnino negatur, cum nec piæ constitutiones, Ecclesiæ primitivæ carpendas, neq; traditiones eiusdem respuendas, quin studiose suspiciendas palam confiteantur.

Α 2

IO. Sacra

10. Sacra scriptura quandoq; eo nomine; quandoq; connexio succes-
sionis in Traditione eiusdem per Ecclesiam testificantem: quandoq;
dogmata quadam ἐγγραφα κατὰ διόνοιαν sed non κατὰ τὸ γράμμα
quandoq; ritus & consuetudines pia hoc pacto indignantur.

11. Neq; etiam Tempora & secula Ecclesia parvipendenda sunt,
ex quarum ingorantia magne aliàs orientur tenebrae, cum nos non de
initijs primog; Ecclesiae oriū, sed iam de cōstitutata, integra, adultaq; dis-
quisitionem agitemus.

12. Atq; hoc quod non singula πρὸς ἐν Christi & Apostolorum ver-
ba & facta, in Codice Biblico conscripta congestaq;, sed multa silens
præterita sint, indubium perstat.

ΖΗΤΟΥΜΕΝΟΝ.

13. Hic genuinus disceptationis huius ST ATVS culmenq; est: AN
SACRA SCRIPTURA omnia necessaria verbi Divini,
Perfectionem & salutem nostram attinentia, Expressa
complectatur: Num vero ad hoc aliud quoddam NON-
SCRIPTUM siue Traditiones requirantur.

ἐκ θεοῦ τῶν διδασκόντων.

τὸ ἠγούμενον.

14. Per sacram Sripturam quid notatum velimus, facile unicuiq;
constabit, nihil aliud quam ipsa duo volumina veteris & NOVI Te-
stamenti libris Canonicis per texta conclusaq; significari.

τὸ ἐπομένον.

15. Necessariorum appellatione ipsos liberos ritus, instituta, con-
suetudinesq; Ecclesiae τὰ ἔξω καὶ ἐσχημοσύνης gratia introductas se-
cernimus.

16. Eaq; solummodo huc accersimus, quae citra salutis periculum
nec intermitteri, nec omitti negligiq; queunt; Sed ad perfectionem &
salutem nostram faciunt.

17. Quid autem perfectio & salus nostra sit, & in quibus consistat,
Christus præcipue loh. 3, 16, 17. luculenter exponit.

18. Verbum divinum in genere hic pro omni externa revelatione,
I Prophetarum & Apostolorum ministerio, tum ab ipsa Christo humili-
tato per aëta, Pontificij cum nostris accipiunt.

19. Totam

19. Totam doctrinam necessariam sine de fide, siue de Moribus EXPRESSA in scripturis contineri Bellarminus abnegat, indeq; ansam sumit in seclandi Orthodoxos, quasi recto pede sine limitatione contra eant.

20. Verum laqueos struit: Si enim eo sensu ista accipiet, quasi omnia discretis numeratisq; verbis in scriptura haberi nostri affirmant illico negatur.

21. Iam enim adversus hanc incurvationem excepimus, cum optime quilibet, plura à Christo & Apostolis dicta gestaq; quam literis exarata esse, perspectum teneat.

22. Voce ergo EXPRESSA usi sumus ad declarandam domesticam Nostrorum sententiam, qui omnia necessaria dogmata in scripturis expressa comprehendit atq; ex illis probari inferriq; aiunt.

23. Id quidem licet non πρὸς ἐν & ad numerum verborum quo à Christo & Apostolis voce exposita sunt, attamen κατ' εἶδος, quo ad materiam: capita necessaria singulorum, non singula capitulum.

24. Traditionum quoq; nuncupatio, non sine cautione arripienda, cum varia ambiguitate sumatur: modo pro ipsa scriptura, modo pro quavis doctrina non scripta, consona tamen scriptura, modo pro quibusvis institutis Ecclesie, neg, συμφώνως, neg, ἀσυμφώνως, modo pro Traditionibus illis Regni pontificij, qui nunc naturam eius acceptamus.

25. Bellarminus geminam tantum eius significationem agnoscit. At id in suum commodum, quo facilius traditionibus Papisticis, tanquam pandora Pyxidi, operculum inneniat.

26. Deinde earundem dignoscendarum regulas texit, quarum ultima basis & fulcrum reliquarum est: Id nobis pro Apostolica traditione habendam, quod Romana Ecclesia exhibet.

27. Scilicet id pro confesso sumit: Eam esse Ecclesiam veram, qua externa forma speciosissima est; de quo tamen p̄y maxime ambigunt.

28. Si enim Ecclesia ὁμοιογενὴς καὶ ἰσχυρὰ, veritatis est, non nuda successio personarum eam constituet, sed ipsa interna doctrina Apostolica conservatio & successio.

29. *Quantam Traditionum celebrent ipsi earum Patroni ignorant, ideoque neque nos ea magnopere sollicitos habebunt: in decursu tamen Thesium aliquas enumerabimus.*

30. *Nuncupantur vero non scripta, non eo sensu quasi nusquam literis exarata oculorum aspectum effugiant: Sed tantum quod a primis proprijsque auctoribus per scripta non sint.*

ΣΤΟΙΣΜΟΣ ΤΩ ΖΗΤΩΜΕΝΩ.

31. *Terminis sic evolutis, ad ipsam quaestionem excutiendam nos accingimus, idque comprobatum sumimus: Scripturas per se sufficientissimas esse, & omnia necessaria ad perfectionem & salutem nostram EXPRESSA complecti.*

32. *Id quod perspicuum magis evadat, argumentis evidentissimis ex eadem petitis demonstrabimus, eo Ordine, ut primum κατάφασις nostra sententia adstruamus: deinde vero ἀπόφασις contraria opinionis subruamus.*

ΚΑΤΑΦΑΣΙΣ.

LOCUS I.

33. *Actor. 24, 14. Sic deservio Patri Deo meo, credens omnibus quae in Lege & Prophetis SCRIPTA sunt. Et ver. 16. In hoc & ipse studeo, sine offendiculo conscientiam habere ad Deum et homines semper:*

34. *Ex hoc loco ita argumentamur:*

Si Paulus credens quae in Lege & Prophetis SCRIPTA sunt, sine offendiculo conscientiae Deo verum cultum exhibuit, Lex & Prophetia ad salutem erunt sufficientissimi.

At prius verum, Ergo & posterius.

35. *Maioris connexio si cui forsitan probatione egere videbitur, perpendat is quid verus Dei cultus aliud sit quam vera fides in Deum Iohan. 6, 29.*

36. *At lex & Propheta pars tantum voluminis Biblici sunt: quis ergo obstabit, quominus toti sacrae scripturae hoc idem assignemus.*

LOCUS II.

37. Iohan.

37. Iohan. 5, 39. scrutamini scripturas quia vos putatis IN
HIS vitam aeternam habere, & illa sunt quae perhibent testimonium
de me.

38. Duo sunt probè animadvertenda hoc in illustri loco 1. Quòd
Iudeos suas observationes traditionesq; iactitantes, ad scripturas dedu-
cit. 2. Quòd inde illis sui cognitionem promittit & vitam aeternam.
Nam si non rectè fecissent Iudaei ponentes spem salutis in scriptura,
certè silentio suo non approbasset.

39. Persuasio igitur Iudeorum per se verissima fuit tū teste Petro 2.
Pet. 1, 19. Habemus firmiter Propheticum sermonem CUI BENE-
facitis attendentes quasi lucerna &c.

40. Syllogismus ergò evidentissimus.

In quocunq; vitam aeternam habemus istud omnia necessaria suffi-
cientissime contineat necessum est.

At in scriptura habemus. E.

LOCVS III.

41. Luc. 1, 3, 4. Visum est mihi, ut CUNCTIS ab initio exacta di-
ligentia peruestigatis, deinceps tibi scribere optime Theophile, quo
agnoscas eorum de quibus EDOCTVS fueras CERTITVDI-
NEM.

42. Accurate dictum hoc inspiciendum est: dicit enim CUNCTA
se diligentius peruestigaturum, & propter CERTITVDINEM,
licet antea multis narraverat, scripto comprehensurum, quibus
ipsis coniecturis equiparat, quae extra scripturam memorantur: At
nos de omnibus necessarijs certissimi esse debemus Philip. 2. Iacob. 1.

43. Hoc etiam addatur, quod Apostoli omnium salutem aequali cura
ac diligentia promouerint & provexerint: ita enim I. Cor. 9, 2. Cor. 6,
2. Tim. 2, 10. labores suos memorant.

44. Quidni ergo ratio haec immota perstabit.

De quibus certi esse debemus ea sacra litera subministrant.

Atqui de omnibus necessarijs ad salutem certissimi esse debemus.

E. Omnia necessaria scriptura subministrat.

LOCUS

LOCVS IV.

45. Actor. 26, 22. Auxilio autem adiutus Dei, usq; in hodiernum diem sto, testificans Minori atq; Maiori, nihil EXTRA dicens, quam ea qua Prophetæ locuti sunt futura esse. & Moyses.

46. Neg, hoc dictum sicco pede praterendum erit: quid enim tantopere exclamat Apostolus Paulus Moysen & Prophetas? si nihil intersit vel scripto vel traditione fidem tenere. Quid sedula hæc industria Apostolorum prodest? Si non omnia necessaria scripta habeantur.

47. Rom. 1, 2. ait Paulus se nihil predicasse nisi Evangelium promissum à Prophetis in scripturis sacris. Et tamen omne Consilium Dei annunciavit Ephesijs Actor. 20. quod ex scripturis eum deriuasse, secundum propriam confessionem clarum evadit.

48. Quapropter ita concludimus.
Quicquid Paulus annunciavit id ex scripturis veteris testamenti desumptum est.

At totum Evangelium annunciavit. Ergo.

Iam fiat progressus ad integrum Canonē, perfectio eius certissimè elucescet. Cum enim pars necessarium Dei verbum includat, ipsa potius tota scriptura absolutissime omnia pertractata continebis.

LOCVS V.

49. 2. Cor. 3, 14. Vsq; in hodiernum enim diem id ipsum velamen in lectione VETERIS TESTAMENTI manet non revelatum.

Gal. 3, 15. Fratres (secundum hominem dico) tamen hominis TESTAMENTVM nemo ad deturq; u' i' u' id' a' t' a' o' r' q' i.

50. Testamenti vox ex qua Paulus suam connexionem adstruit, diligenter memoria iudiciorq; appendenda. Testamento quidquid homo, jam mortem appetiturus, ritè sancit & voluntate ordinationeq; ultima conclusit, nefas alij foret aliquid eius immutare.

51. Et hoc privilegio semper eius generis pacta gaudent, ut irrefragabiliter vigorem suum obtineant, quin & qui violare ea tentas hereditate exscinditur.

52. Iam

52. Iam Deus suam quoque voluntatem Hoc scriptura TESTAMEN-
TO nobis sufficiendam venerandam & observandam expressit. Per-
git Paulus: At hominis confirmatum Testamentum nemo mutilare
audet. Ergo infinites potior Testamenti divini autoritas nobis esse de-
bet, id nullo defectu nullis rebus adpersum esse.

53. Sic colligentem Paulum nos hoc Syllogismo imitabimur: Testa-
mentum, aut fœdus Dei est perfectissimum et immutabile. At scriptu-
ra est Testamentum Dei. Ergo est sine defectu integerrima.

54. Si vero tanta perfectio scriptura sit oportet, certè quam certissi-
mè inde infertur, eam omnia necessaria quæ ad declarandam & indi-
candam testatoris voluntatem pertinent, includere.

LOCUS VI.

55. Act. 1. I. Primum quidè sermonem feci de omnibus, o Theophile,
quæ cepit Iesus facere & docere, usque in diem qua præcipiens Apostolis
per Spiritum sanctum, quos elegit, assumtus est.

56. Evidentissimum hoc testimonium est pro sententiæ nostræ asser-
tione. Quia enim Lucas expressè universalem istam notam promit,
OMNIA ipsam dicta factaque, Iesu iam persecutum esse, notat autem
Evangelium suum, de quo antea Thesi. 41. quomodo non plena suffici-
entia scriptura illinc comprobabitur.

57. Et quidem ait se non solum ea OMNIA quæ antè tempus passio-
nis & mortis peregerat, calamo annotasse, verum OMNIA etiam
post resurrectionem usque ad ascensum in celos.

58. Præterea probe notetur Lucam DICTA ET FACTA CHRISTI
consignasse, in quibus ambobus solus omnia de Christo scitu necessaria
consequimur.

59. Patet etiam singula πρὸς εὐ Lucam minimè complexum esse,
cum multa in ceteris Evangelistis extant, quæ ipse præterierit, atque
infinites plura Christus sine dubio & dixerit & gesserit.

60. Quare omnia scribere Luca non Numeri sed Necessitatis est
& certitudinis, ut veram agnitionem Christi haurire, haustamque firmiter
tenere queamus.

61. Conclusio hoc ex textu talis succrescit. Solida nostra salus in cognitione dictorum ac factorum Christi absoluitur & perficitur. Ea verò omnia in Luca Evangelio recensita perscripta sunt. Ergo in cognitione Evangelij Luca nostra salus, absoluitur & perficitur. Similis penè Syllogismus emanat ex loco 2. Tim. 3, 15. Ab infantia sacras Literas nosti, quæ te possunt ad SALVTEM instruere, per Fidem qua est in CHRISTO IESU &c.

LOCVS. VII.

62. Rom. 10, 17. Fides ex auditu est, auditus autem per verbum Dei.

63. Primò omnium ex superioribus resumendum est axioma istud Pauli affirmantis: se nihil extra scripturas, iam divinitus traditas per Prophetas, concionatum. Et ipse ne hoc in loco absq; testimonio & autoritate loquitur ad Esaiam se referens, omnis qui credit in eum non confundetur Esa. 28.

64. Postea istud firmiter teneatur Propheticum sermonem tantum in scripturis querendum, indagandum. Quomodo mandatum Christi Joh. 5, 39. pellucide exhibet. Et mandato hoc Prophetis in veteri testamento injunctum fuit, ut Dei verbum literarum monumentis exciperent.

65. Tertio Apostoli ejusdem Dei ministri fuerunt idemq; officium praconij sustinuerunt. Ac quidem vehementiori alacritate, majori fructu successuq; id obire & expedire debebant.

66. Iam si eo nomine laudem meruerunt Propheta, quod omnia iussa Dei fideliter effecta dederint, an altera ex parte impigisse Apostolos largiemur? Minime gentium? Quin sine cunctatione persuasissimum habemus, eos omne verbum Dei quantum Fides & Salus Ecclesiae flagitat, scripto prodidisse, atq; fidesime legatione sua perfundos esse.

67. Id hoc Syllogismo probamus. Unius Dei autoritate & mandato, unius Spiritus instinctu & regimine Propheta & Apostoli, unum idemq; officium ejusdem verbi Dei prædicandi fideliter expedendum iustinuerunt. At Propheta verbum Dei & literis mandare iussi sunt.

funt & mandarunt Exod. 24, 4. E. & Apostoli idem verbum literis
mandare jussi sunt & mandarunt.

68. Nisi quis forte dissimilitudinem monstret quasi Deus non eo-
dem misericordia fervore nostra saluti velit consultum, quo Iudaeo-
rum in veteri testamento: quod dicitur. Secus nos, qui hoc axioma am-
bibus ulnis accipimus: De iisdem idem iudicium.

69. Quid jam denuò inde consequentia immotè inferatur, quilibet
ulterò cernit. Si ex Fide pendet salus, Fides ex auditu, auditus per ver-
bum Dei, Verbum vero Dei scriptum est, ex scriptura omnia quae no-
stra saluti necessaria sunt desumenda erunt. At prius. Ergo &
posterius.

70. Connexio majoris constantissime persistit. Certum namq̄, est
ex fide salutem esse, at Fides tantum ex verbo Dei, quod Apostoli
prædicarunt & scripto relinquerunt, nec aliundè oritur. Sin aliter?
absq̄ auditu fides erit, quod in ipsum Pauli scopum & ordinationem
Dei sanctissimam impingit.

71. Majoris tamen evidentia causa, ne ulli tenebras offundere vi-
deamur, adhibebimus huc alium locum, ubi ipso sensu deprehen-
demus, Fidem ex verbo scripto TANTVM oriri. Hebr. II, 1. defini-
tur Fides, quod ea sit substantia rerum sperandarum. Huic jam adjun-
gemus dictum Pauli Rom. 15, 4. Ut per patientiam & consolationem
SCRIPTURARVM SPEM habeamus.

72. Si Fides est ὑπόστασις, Spes ex iisdem ergò initijs pullulent oportet:
quomodo enim id esse & fieri potest, nisi ejusdem generis ortum habe-
ant. At verò Spes oritur ex SCRIPTURIS. Age? quidni Fides,
Aut demonstratur qua ratione contingere queat? Fidem formam &
esse spei largiri, & nil affinitatis & conjunctionis in ipsis principis
intercurrere.

LOCVS VIII.

37. Esaiæ 8, 20. Ad legem & testimonium. Quod si non dixerint
secundum verbum hoc non erit eis matutina lux.

B 2

Tantopere

74. Tantoperè solius Verbi scripti majestatem commendat Prophe-
ta, ut & lucem & salutem illis deneget, quicumq; parumper extra
prescripta illius exorbitantes, ad alia dogmata declinent. Et quidem
hanc de lege sententiam promulgat, quæ multis modis Evangelica &
Apostolica doctrina angustior et succinctior.

75. Quis enim Christianorum nescit, maiori & abundantiori uber-
tate verbū Dei in Novo Testamento traditū prædicatumq; esse? Af-
firmat hoc Isaias 50, 21. 60, 19. ubi statum novi Testamenti magni-
ficè exornat, eumq; Legi multis parafangis præfert Psal. 18, 5. In om-
nem terram exiit sonus eorum.

76. Iam rationem necelanus. Si Iudæorum tanta fuit eminentia ut
omnia necessaria ad salutem ex veteri Testamento Solo requirere po-
tuerint; multo magis nos qui angustiori plenitudine Verbi Divini
in Novo testamento fruimur, omne Necessarium in causa salutis scri-
pro tenebimus. At prius verum. E

77. Similis locus extat Deut. 4, 2. 12, 32. Non addetis ad verbum
quod vobis loquor, nec auferetis ex eo, custodite mandata Dei, quæ
EGO præcipio vobis. Notetur verò hic Moysen non de mutilatione
ac corruptione Legis suæ duntaxat loqui: Sed potius omnia humana
cogitata, quæcumq; sorte necessitatis adijciantur arcere.

78. Nec magnopere monendum censemus, quid verbi Divini no-
mine, nempe ipsum Scriptum innuat. Saltem hoc addimus: Execra-
bilis qui non permanserit in omnibus verbis Legis Deut. 27, 26.

79. Sic Luc. 16, 29. Moysi & Prophetis ea perfectio assignatur,
ut sufficiant nos flamma infernalis atrocitate eripere. Sic Psal. 1, 2.
& 119, 133.

LOCVS. IX.

80. Iob. 20, 31. Hæc scripta sunt ut credatis quia Iesus est Chri-
stus Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.

81. Sive locus hic de vniuersis Novi testamenti libris, siue de Io-
hannis Evangelio tantum intelligatur, inuictissime tamen ex eo con-
sequitur, Omnia Necessaria ad salutem in sacris literis concludi.

82. Verba sunt manifestissima: ait non singula quidem et nume-
rum mi-

rum miraculorum & dictorum Christi Apostolos recensuisse: qua uero fidem saluificam concernant, earum omnium nihil omissum, ita ut ex illis Iesum esse Christum Filium Dei cognoscamus. Hic clauus, hac anchora nostra salutis esto.

83. Si hoc ex scripturis assequamur quare plura desideremus. Ex hac enim fide habemus uitam aeternam. Credamus & uitam possidebimus in nomine eius. Ioh. 3, 15. 17, 3.

84 Tandem ergo concludamus, ubi cunq; cognitio Christi, ibi omnia requisita salutis et uita aeterna. In scriptura sacra est cognitio Christi. Sic Act. 17, 2, 3, 18, 28, E. Omnia requisita salutis & uita aeterna.

85. Et si dictum ad Euangelium tantum Iohannis adstringas, fortius stringit syllogismus, pressius ac firmiter tenet conclusio. Quis enim unquam toti negavit, quod pars perficere potest? quis potiori quod minus? Per has ergo luculentissimas & pro dei & q; inconcussa immotaq; stat Verbi Dei integritas & Perfectio.

ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑ.

Argumentum primum.

86. Si Apostoli conciones & scripta sua scripturarum censura subjecerunt, omniaq; ex ijs desumserunt, nullum erit agnoscendum Verbum necessarium prater scriptum. At uere antecedens ita sese habet Act. 26, 22. E. & consequens.

87. Veritatem connexionis in maiore qui non agnoscit is omni auditori caret, aut si Pontificias traditiones ab hac regula liberas esse statuit, auctoritatem Apostolorum pontificijs posthabet.

Argumentum secundum.

88. Si in scriptura omne salutis nostra punctum perfecte exaratum est, nihil erit opus Traditionibus. Atqui prius iam verissimis rationibus demonstratum E.

89. Si uero nullus usus Traditionum est, quid multum ad eas nos adstringamus? aut cur ijs nos subjugemus. Sed ne quis manuum traditione ipsius Canonica scriptura obstet, atq; exinde illarum necessitatem quandam eruere conetur, statim eam obiectionem amoliamur.

90. Respondemus igitur, Ecclesiae testimonium de sacra scriptura nos

minime adspernari, sed auctoritatem eam eminentiam, qua præter & citra, immo contra scripturam dogmata peculiariter invehere conatur, respicimus, exsecramur.

91. Deinde scriptura, se θεόπνευσον esse, multoties ipsa testimonium præbuit. Quid enim ea exclamationes Prophetarum crebra? Dominus dixit, & Pauli 2. Tim. 3, 16. 2. Petr. 1, 21. Hæc nobis imperant quare scripturam hanc pro verbo Dei arripiamus, nec aliam.

92. Ne verò responsionem nostram quoquo modo vacillare quis autumat, addimus & tertium. Constantiter credentes divina providentia factum esse, quod Ecclesia Pontificia, Babylonica ista meretrix, hunc VERBI divini Codicem in sui interitum ad posteritatem piæ propagavit.

93. Licet ergò qualiacumq; ad supprimendum istum consilia forsitan susceperit, ea tamen effectu ipso expedire potentissime impeditam credimus. Hæc siquidem promissio, sancta cum attestazione, huic sacrosancto libro facta est ab ipso auctore Matth. 5, 19. Amen quippe dico vobis, donec transeat cælum & terra, IOTA UNUM aut VNVS APPEX non præteribit à Lege donec omnia fiant. Hoc scriptura vallibus fossaq; adversus omnes casus mundi munitissima esto.

Argumentum tertium.

94. Si scriptura salutis nostre perficienda par non esset absq; ea ex parte salvari possemus. At posterius ἀσθεῖς & æterna damnationi quam proximum les. 8, 20, Rom. 10 14, 14, 23. Gal. 1, 9. E.

Argumentum quartum.

94. Quicquid non est θεόπνευσον illud non est ὠφέλιμον. At tantum scriptura est θεόπνευσον. Ergo quicquid non est scriptura illud non est ὠφέλιμον.

96. Syllogismo huic vires & nervos locus 2. Tim. 3, 16. largiter mutuat. Hæc enim peculiaris nota scripturae inibi tribuitur, quod sit θεόπνευσον & ὠφέλιμον ad salutem. Et hoc differentia loco constituitur inter eam & μωσαϊκῆς καὶ ἀποκαλυφτικῆς ζητήσεως, quæ si vera esse debeant

Beat, reciprocè eidem competet, ita ut quod non sit scriptura, nec. Sic.
usus estimetur.

Argumentum quintum.

97. Quidquid præter scripturam & extrà scripturam ut ad Fidem
necessarium memoratur, illud ἀναθεματίζετο. At omnes Traditiones
Pontificia præter & extrà scripturam ut necessaria memorantur. E
Traditiones Pontificia ἀναθεματίζονται.

98. Major citra ullum additamentum ipsius Pauli est, qui Galat. I.
9. Omne Evangelium extraneum ignotumq; scriptura anathemate fe-
rit. Id enim vox παρὰ inevitabiliter importat, ut omne ἀδύνατον ἡμεῖς
ἐρεγοῦν huic execrationi implicet.

99. At Bellarminus hic excipit, & hanc ejus significationem hoc in
loco esse pernegat. At nos antecedentia probe pensitabimus & veri-
tas sententia nostra luce clarius exsplendescet. Disputat Paulus con-
tra falsarios, & vocabulo ἡμεῖς primum vers. 6. utitur, quod quam
longe à contradictionis nota absit, facile ex ipsa subsequente voce ἀδύνατον
animadvertitur; Hanc enim limitationis τὸ ἡμεῖς causa adhibet,
quod si adversarium prius fuisset, restrictione neutiquam opus fu-
isset.

100. His positis postea universaliter concludit, per τὸ παρὰ, adeoq;
tam ἐρεγοῦν ἡμεῖς ἀδύνατον quam ipsius ἐρεγοῦν anathemate ferit.

Argumentum sextum.

101. Quod nos de salute aeterna incertos reddit, illud aeternae dam-
nationi conjunctissimum est. At traditiones de salute incertos red-
dunt. E. aeternae damnationi conjunctissime sunt.

102. Majori robur addit Paulus Philip. 2, 14. Iacobus 1, 6. & ipse
Christus Marc. 16, 16. Neq; etiam assumptum testimonio destitui-
tur Luc. 1, 4. Esaiæ 30, 8. Et Patres sua inconstantia incertitudinem
Traditionum luculenter produunt.

Argumentum septimum.

103. Ex pluribus argumentis hoc duntaxat adhuc subservamus

Si

Si nihil omnino & ne hilum quidem Traditiones neq. quo adli-
teram, neq. quo ad sensum in scripturarum sacrarum monumentis ex-
pressa, saluti nostra conferunt, sed potius adimunt, ea ab universis &
singulis negligi possunt & debent. At antecedens de pontificijs tradi-
tionibus verissimum E. & consequens sorte immutabili ratum habe-
ri debet.

104. Veritas connexionis hypothetica per se fulget. Quid enim
an humanis praeceptis salvabimur: at quo pacto? Scilicet irritum feci-
stis mandatum Dei propter Traditionem vestram: & omnis plantatio
quam non plantavit Pater meus celestis eradicabitur, Matt. 15, 6, 17.

105. Assumptum per enumerationem omnis generis Traditionum
sufficientem probandum firmandumq. erit. Agite ergo & subsequentes
Pontificios partus contemplete. Invocationem Sanctorum; cultum
imaginum; sacrificium missae; delectum ciborum; Caelibatam; indul-
gentias; mutilationem Cenae Dominicae &c. quibus omnibus sacra scri-
ptura ex diametro adversatur.

106. Hac Helena est quam cohors ista Romanensium tantopere de-
perit, eiusq. $\Upsilon\omega\omega\alpha\kappa\omicron\upsilon\gamma\alpha\tau\iota\alpha$ nos subjugare, sed in cassum, contendit. Ve-
rum Deus servet nos in nomine suo, & sanctificet in veritate.

FINIS



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gr̄e.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nāa infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe gr̄a Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit goz Magog, Babel, Mesob. 2. qd p̄ hoc vocab. Turca significant.

3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezob. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in quā tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad loco dōe ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone fit repri. mēdy. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medietate fuerit delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HEURNII.

Thesi de Predestinatiōe D. FREDERI.


Dōe de reali communiōne idiomatū in unā Personā Christi, M. Berndes.

Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄e GESNERI.

Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictis Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatū reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



B.I.G.

Farbkarte #13

DEO BENE IUVANTE,
THEOREMA
DE PERFECTIONE ET SUFFICIEN-
TIA S. SCRIPTURAE IN DOGMATIBVS
fidei Christianae

Moderatore

REVERENDO AC CLARISSIMO VIRO Dn. IOHANNE GEORGIO VOLCK-
maro SS. Theologiae Doctore ac Profes-
sore publico,

Contra Traditiones Pontificias,
Ad disputationem septimam in Collegio Studii
diolorum privato propositum,

à
M. LAURENTIO LAELIO KLEIN
langhemio Franco,
Respondente
M. BLASIO FRIEDLIEBIO
Betza Mulhusino.
15. Novembris Anno 1595.



WITTEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mullerj.